

mini, de qua postea veniebant ad ostium tabernaculi, ut illic Dominum exorarent; sicque evanescit responsio, qua se argumentum solvisse gloriabatur.

V. Probat ab eodem Baronio exemplo petito a libro 2. Machabæorum cap. 3., ubi fit mentio virginum reclusarum in templo, quæ ad Oniam, summum Pontificem procurrerunt. Opponit Baronio Serry, quod vocem illam in templo de suo inferuerint, quum in textu ver. 19. solummodo legantur hæc verba: *Sed & Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam; alia autem ad muros; quædam vero per fenestras aspiciabant.* At quum Baronius hoc ipsum probet ex Ambrosio lib. 1. de Virginibus dicente: *Etiâ in templo Hierosolymis fuisse, legimus Virgines deputatas. Sed quid Apostolus dicit? Hæc in figura contingebant illis, ut essent indicia futurorum: figura enim in paucis est, vita in pluribus.* Serry vero Ambrosium non nominat, nec verborum ipsius testimonium affert, sed tantum asserit, quod Virgines illæ in paternis domibus habitabant, ratione verecunditiæ, & pudicitiae virginalis, & ideo dicebantur conclusæ. At hæc una est ex imaginationibus Serry, quibus juxta cerebri sui arbitratum, non juxta Patrum, & Scriptorum mentem, de Scriptorum rebus loquitur, judicat, atque decidit; quod præcipue etiam in hoc loco, quando dicit, quod in textu græco non legitur, procurrisse ad Oniam, quum satis nobis sit, quod in vulgata Editione legatur.

VI. Probat secundam Conclusionis partem, quod scilicet B. Virgo in templo præsentata, in Sancto Sanctorum non habitaverit. Apostolus docet, neminem potuisse ingredi Sancti Sanctorum locum, nisi summum Sacerdotem, & quidem semel in anno, solemniter scilicet expiationis die. Scribit namque ad Hæbreos 9. ver. 6. & 7. *In priori quidem tabernaculo (seu in priori tabernaculi parte, nimirum in Sancto) semper introibant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundo autem (seu in interiori parte, quæ Sanctum Sanctorum vocabatur) semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua, & populi ignorantia. Quod quidem Exodi 30. ver. 10. scriptum legitur: Deprecabitur Aaron super cornu ejus semel per annum: Et Levitici 17. ver. 2. Loquero ad Aaron, fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur Sanctuarium, quod est intra velum soram Propitiatorio, quo tegitur arca, ut non moriatur.* Non est ergo credibile, B. Vir-

ginem in templo præsentatam habitasse in Sancto Sanctorum, quo nemo poterat ingredi, nisi solus summus Pontifex, & semel tantum in anno.

VII. Probat ultima Conclusionis pars ex Georgio Nicomediensi orat. 4. de præsentat. Virginis, cujus verba etiam nuper retulimus: *Hodie animatum templum in templo offertur: hodie spirituale tabernaculum, fausta nuntia gratiæ, legali ordini præfert: hodie vasculum Spiritus in templo depositum, suscipiendo Verbo Dei aperitur. Neque enim decebat ut tabernaculum illud mundissimum in mundi sordibus versaretur, sed ut in irreprehensibilem translatum locum, primos illic gaudii gustus susciperet, ut illic mysterii symbolo subministrata Angeli manu annonæ aleretur.* Et orat. 6.: *His porro, qui inferrebatur cibus, ipsum panem vitæ specie exhibebat: Et ex Andrea Cretense orat. 1. de nativitate Virginis: Tunc plane, tunc Sanctorum illa patuerunt sancta, cum Sanctissimam Sancti Matrem, intra aditorum gremium recipere: porro congrua ei profertur esca; hæcensque alit nulla hominum manu comparato cibo, qui modicum aliquantum ejus est alendus lacte, ac Spiritus Sanctus nutritius efficitur Virginis.* Ex quibus patet Authores hosce, qui de cibo Virginis in templo loquuti sunt, cibum quidem mysticum, non vero usualem, & naturalem, intellexisse. Immerito igitur Baronio Cardinali amplissimo insultat Serry, scribens, Porro producti a Baronio testes ea suis narrationibus inferunt, quæ ne recipere quidem audeat vir alias prudentissimus; Mariam scilicet in templum allatam, Deoque oblatam totos undecim annos, in Sancto Sanctorum oclusam, & ab Angelo in columbæ speciem conspicuo innutritam substituisse.

Opponunt I. Locum, qui in templo describitur pro mulieribus, non erat pro habitatione mulierum, sed pro oratione earundem; quatenus scilicet in templo orabant separate a viris; ergo non est verum, quod in templo esset locus, in quo Virgines, Deo dicatae habitarent, & inter quas fuit B. Virgo, quando in templo est præsentata. II. Qui in templo offerebantur Deo, ad ministerium aliquod obeundum, soli masculi erant, & non feminae; ut patet lib. 1. Reg. cap. 1. Ubi Anna, quæ erat uxor Helcanæ, votum Deo faciens pro prole obtinenda dicebat: *Domine Exercituum, si respiciens, videris afflictionem famulæ tuæ, & recordatus mei fueris, nec oblitus ancillæ tuæ dederis servæ tuæ sexum viri-*